

79  
EPITHALAMIA

NVPTIARVM  
SOLENNITATI DO-

ctrina eruditione & virtute præstan-  
tissimi viri, Dn. M. IOACHIMI KIPPII,  
Scholæ apud Rigenses Cathedralis Collegæ  
fidelissimi SPONSI,

Et

LECTISSIMÆ ATQVE PVDI-  
cissimæ virginis VRSVLE KLANDT, Inte-  
gerimi Honestiq; viri CASPARI KLANDT civis  
piæ memoriæ Rigensis, primary, filie  
SPONSÆ,




*Conscripta*

ab uno itemq; altero amicorum &  
collegarum SPONSI.

*RIGÆ Livonum*

Typis NICOLAI MOLLINI

M. DC. IX.



Ita velut varijs nostra est exercita curis  
 Et scetet innumeris sollicitudinibus:  
 Sic venit huic contra moderamine mixta medela  
 Pharmacaq; alteris quis relevetur habet.  
 Namq; Deus rerum summus moderator & autor  
 Et facilis miseris, mitis & esse solet.  
 Afflictis onerum nec plus imponere tentat  
 Quam valeant humeris sustinuisse suis.  
 Sic quoq; conjugium sanxit, quo fœdere certo  
 Femina dilecto stat sociata viro,  
 Ut grata sortem vice comperiat utramq;  
 Casibus atq; astet mutua cura viro  
 Onimium fœlix atque omni à parte beatus,  
 Femina cui tali prœdita dote datur.  
 Hæc domi stat parta decus, laus atq; perennis  
 Conciliatq; suo gaudia mille viri.  
 Illius hæc vitam seros producit in annos  
 Et sine canitie molliter ire facit.  
 Sic quoque Sponse capis vita jam dulce levamen,  
 Et curis sociam quæ medeatur habes.  
 Namq; Scholæ insanos hominum quis quæso labores  
 Nesciat, aut verbi differuisse queat?

Non

Non ita voluendo saxum grave Sisyphos arget  
 Dum montis lato vertice stare negat:  
 Nec Danaï Natas dolium sic vexat inane  
 Quod cribro illatas ferre recusat aquas:  
 Nec Tityi vultur tam rostro tundit acuto  
 Nec penis rodit viscera fata novis:  
 Quam vitam curis labor ille Scholasticus ingens  
 Excedit & nunquam quo relevetur habet.  
 Longa referre mora est dictæria vana malorum  
 Quæ Præceptorum tristia corda secant.  
 Et crebro in somnes cogunt traducere noctes,  
 Atq; ca vos lacrymis penè rigare sinus  
 Namq; ut Cadmeæ lacerarunt Pentheæ matres  
 Cum Bæchi invasit pectora sæva furor:  
 Sic multi lacerant, rodunt & dente canino  
 Qui vigiles seruat doctæ lîcæ, viros.  
 Ergo tot exposita est quia vita Scholastica curis  
 Perpetuusq; premunt banc labor atq; dolor:  
 Atq; apud inmemores veteris stat gratia facti  
 Nulla nec est fide sedulitatis honor:  
 Ecce adjutricem tibi nunc Deus addit ut hæc sit  
 Curarum & tanti Sponse medela mali.  
 Leniat & dictis animum tristesq; labores  
 Et quacunq; potest arte levare, levet.

A 2

Addo



Adde quid hoc largo compenset munere curas  
In studijs Musa quas peperere tibi.  
Namq; Schola in Patria linguas artesq; fideles  
Descendi quondam maximus ardor erat  
Ast ubi digressum te Academica vita recepit  
Tunc graviora tibi noscere cura fuit.  
Postquam igitur juvenem primum te Lipsia vidit,  
Ingressum Docta clara theatra Schola,  
Est studium mirata tuum fidumq; laborem  
Quo solitus Musis invigilare pijs  
Est doctas mirata theses, quis saepe profana  
Ausus es haresum dogmata discutere  
Ergo gratus eras Doctoribus atq; Magistris  
Doctrina eximijs & pietate viris.  
Schiltero, Harberto atq; alijs, quos nichlytus heros  
Saxonia princeps suspicit atque colit  
Ast ubi Ibena suum celebris te exceperit alumnus  
Et tua Castalij ora rigavit aquis:  
Divini studijs verbi sacrisq; pagellis  
Intentus vigili pectore totus eras  
Et Mylij addictus jurare in verba Magistri  
In vitam ac mores obsequiosus eras.  
Tradere Christicolis divini semina verbi  
Digna ita, & Christi prope vigilare grege.

Gratu.

Gratulor ergo tibi doctissime Sponse, laborum  
Iam vita sociam donat habere Deus.  
Gratus & exhaust os pensat uirtute labores,  
Donorum summus qui dator esse solet  
Gaude animo Sponsamq; tuo lato accipe vultu  
Et sine in amplexus suaviter ire tuos  
Quod superest vestro qua vis felicia amori,  
Atq; senis Pylj tempora longa precor  
Vivite concordēs constantes vivite, eritq;  
Et sine lite domus: nec sine prole torus.

M. Stephanns Teuthorn  
Scholæ Rector.



QVæ DEVS instituit, bona, itemq; illustria cuncta  
Affirmat vates Regius ille David.  
Ergo conjugij quoq; erit sacer ordo bonusq;,  
Illius est autor quod bonus, ipse DEVS.  
Nondum primus homo summi mandata Tonantis  
Temserat, ut sexum junxit utrumq; DEVS.  
Post ubi jussa Creatoris violârat Adamus,  
Conjugij fœdus, munijt autor, idem.  
Qui parat ergo se vinculo sociare jugali,  
Nil peccat, sequitur dum pia jussa DEI.

A 3

Quò

Quòminus ipse quoq; impingis cultissime Sponse,  
Qui pateris tandem vincula grata tori.  
Vincula grata tori, quamvis adamantina prorsus,  
Nec nisi fatali dissoluenda die.  
Vincula grata tori, gratissima vincula amoris  
Casti, qui quiddam mystici amoris habet.  
Namq; amor ille idem præ se fert connubialis,  
Quanto complexus Christus amore gregem.  
Quem quò servaret, roseum fudisse cruorem  
Non illum, Domini quæ bonitas, piguit.  
Adde quod infinita trahit secum socialis  
Commoda amor, quæ vix enumerare queas.  
Illicitis si quis malè flammis carpitur, illi  
Sufficiunt medicam jura cubilis opem.  
Conjugium soboli conducit maximè honestæ  
Iustâ gignendæ lege modoq; tori.  
Vnde DEO post existant præconia laudum  
Qui vel lactenti, veridico ore canant.  
Quid? quod conjugium humanæ est Academia vitæ,  
In qua quis demum discere multa potest.  
Et quæ tortè alijs olim didicisse Lycæis  
Contigit, ad praxin cuncta referte licet.  
Illud idem Neonymphe tibi, Doctissime KIPPI,  
Numine propitio suggeret ipsa dies :

Ut quæ

Ut quæ Lipsensis schola, tum Salana docebat,  
Conjux addiscas rectiùs illa novus.  
Et sic de integro titulum meruisse Magistri  
Competet, expertus quod fateare lubens.  
Certè in conjugio Physice transfertur ad usum  
Rectiùs in reliquis quam repetita scholis.  
Quin & Arithmeticam exercere fideliter artem  
Hic datur, ad certas rem revocando quadras.  
Dum bonus Oeconomus sumtus vel supputat omnes  
Quos nunc exiguos, nunc facit arte graves.  
Nec minus hic morum virtutumq; apra Magistra  
Ethica per partes excutienda venit.  
Discitur hic quid sit probitas, quid amica voluntas,  
Quid pacis studium, candida quidq; fides.  
ΑΥΤΗΛΕΓΡΥΝΟΙΣ quid sit, castiq; pudoris  
Quid decus, & σοφία, quidq; amor ingenuus.  
Quid mansuetudo, patientia, cuncta ferendo  
Vincens, atq; aliæ, quas numerare labor.  
In primisq; DEI cultus, studiumq; precandi,  
Et posita in Domino spesq; fidesq; DEO.  
Quas tamen ex alio doctrinæ fonte petitas  
Illis non frustra connumerare libet.  
Has igitur studio divina Academia crebro  
Inculcat, stabili lege tenere jubens.

Non



Non est ergo, mihi credas, lectissime Sponse,  
Cur minus admittas fœdera iusta tori.  
Ecce venit tibi in occursum suavissima Sponsa,  
Ut tecum fidi pangat amoris opus.  
Hæc te curis affecto dulcedine grata  
Verborum institerit, ne dolor exuperet.  
Ejus in optatum gaudebis fundere tutò  
Quæ te sollicitant anxia cuncta sinum.  
Et vigil <sup>δίκυος</sup> bona parta labore recondet,  
Et iusto promet tempore quæq; sagax.  
Quodq; rei caput est summo molimine semper  
Nitetur, quo sit lausq; decusq; viro.  
Quod superest igitur felicia cuncta precamur  
Laudatis Captis optime Sponse tuis.  
Vive diu sospes chara cum conjugè, donec  
Adveniant Pylij tempora longa senis.  
Sit concors torus, & procul hinc mala jurgia cedant,  
Quæ nasci semper noxia Erinnijs amat.  
Vos etiam faciat numerosa prole parentes.  
Vincula casta thori, qui probat ipse DEVS.  
Hæc præcor ex animo: votis pater optime nostris  
Annue, ne nuptis irrita vota cadant.

JOANNES NEVHOFIUS  
Corrector.



841580

LU Akad. bibl.



817001255